

Kem 253 (1-20)

DE
VOMICA PVLMONVM

CONSENSV
GRATIOSI ORDINIS MEDICI
 IN REGIA FRIDERICIANA

P R A E S I D E
D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO
 FACVLTATIS MEDICAE SENIORE, ETC.

PRO
G R A D V D O C T O R I S
 SVMMISSQVE IN MEDICINA HONORIBVS
 AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS LEGITIME CAPESSENDIS

A. D. XV. DECEMBER. MDCCCLXXXI.

H. L. Q. S.

PVBЛИCE DISPVTABIT

A V C T O R

IOANNES FERDINANDVS REYMANN
 S I L E S I V S.

HALAE MAGDEBURG.
 T Y P I S S T E P H A N I A N I S.

THEATRUM MUSICO
LIBERUM ET LIBERTATE LIBERUM
ALLEGORICO ET ALLEGORICO
CARTINICO ET CANTABILIS
DILECTIONIS ADORATIONIS
CLARO ET CLARO VULGO





PRAEFAMEN.



De themate inaugurali cogitanti mihi
maxime conueniens videbatur enar-
ratio casuum aliquot notabilium,
quorum magnum videre numerum mihi conti-
git, cum institutionibus clinicis ILLVSTRIS PRAE-
SIDIS ac PRAECEPTORIS, summa pietate colendi,
interesse liceret. Elegi autem potissimum hos
de vomica pulmonum casus, tum propter ipsius

A 2

mor-

morbi grauitatem & periculum, tum propter felicem ac sane memorabilem effectum, quem his in casibus praestitit ILLVSTRIS PRAESIDIS electa & adaequata methodus medendi. Ut vero melius appareat, quibus principiis nisus, hanc medelam adornauerit VENERABILIS VIR, generalem praemisi tam morbi historiam, quam medendi methodum. Quod reliquum est, nihil magis opto, quam ut conamina mea TIBI, L. B. non displiceant.

§. I.

Vomica tumor est a pure cysticus. Differt igitur ab aliis tumoribus per materiam, quam continet, a) quam

- a) Materiae purulentae natu-
ram atque ab ulceroſa mate-
ria discrepantium, indeque
pendentem abscessus atque
ulceris differentem naturam,
egregie expositam vid. in
ILLVSTRIS PRAESIDIS Differ-
tatione de fonticulis eorum-
que effectibus, Resp. Schoe-
nmark Hal. 1781. p 4. § II.c.

quam cum solo illo tumore communem haber, qui abscessus vocatur. Neque quidem omnino cum abscessu conuenit vomica, cum haec pus contineat in peculiari membrana, qua ille caret. Hinc non confundenda cum suppuratione staseos inflammatoriae, qualis nonnunquam in pleuride & peripneumonia oritur; porro distinguenda est ab empyemate, in quo materia in cavitatem thoracis effunditur; etsi a disrupta superficiali vomica prouenire possit, immo ab ulcere stricte sic dicto pulmonary, quale est in vera phthisi, separanda. Dum autem vomicae historiam persequor, ad eam, quae pulmones afficit atque in pauciora cadit subiecta, vnicce & praecipue respiciam.

§. II.

Pro varia magnitudine, pro variis, quae afficiuntur partibus, varia vomicam pulmonum comitantur symptomata, quorum generatim haec est ratio. Obsident vomicae vel unum, vel alterum pectoris latus, interdum maximam pulmonum substantiam occupant & intus procedunt, vel in superficie eorum tantum ha-

A 3

rent

rent & in exteriorem partem feruntur tolerabilioresque esse possunt, vel aliquando pleuram partesque consumendo vicinas, interdum diu sine notabili functionum laesione ferri, diuque aliquando sine febre & inflammatione latitare possunt, neque prius, nisi ante funestum euentum sese produnt; hinc nullum certum atque indubitum vomicae ante rupturam materiaeque excretionem datur signum. Nonnunquam praeter exspectationem disruptae leuant symptomata; quandoque vero producent febrem lentam & suspectum statum phthisicum. Frequentius accedunt tussis sicca, sed tolerabilis, postea cum exscrectione materiae mucosae, vel mucoso-cruentiae, foetidae, ichorosae & membranarum interdum a folliculis disruptis reiectione iuncta; anxietas praecordialis, dolor pectoris grauatus, nonnunquam punctarius in fixo pectoris loco, respiratio difficultis, spiritus grauis & foetidus; rubor genarum obseruatur circumscriptus, facies apparet tumiduscula, virium accedit languor & grauitas corporis, nec non emaciatio atrophica eiusdemque eneruatio, febris lenta, interdum ad tempus quiescens, vel in hecticam mutata, comes quasi vomi-

cae

cae indiuiduus cum suetis symptomatibus, cibi fastidio, potionis desiderio, copiosa particularis & vniuersalis sudoris eruptione, affectibus lipothymicis cet. Ex quibus omnibus morbus probabili ratione iudicatur & disrupto repente folliculo confirmatur.

§. III.

Causarum, quae vomicam producunt, triplex genus statuendum videtur. *Vel* enim in ipsis pulmonibus generatur, quod vomicam constituit, pus; *vel* aliunde adfertur. Pus, quod aliunde in pulmones defertur, *vel* metastasi, ab alia quadam parte ad pulmones factae, debetur; *vel* diathesi cuidam purulenta per totam sanguinis massam dispersae.

§. IV.

Ad prioris generis causas praecipue referendi sunt ii morbi, quos maior humorum versus pulmones congestio comitatur. Quorsum quidem spectat peripneumonia, quae, vt aliae inflammations, facile potest in suppurationem transire, idque eo magis, cum pulmones sint

sint structureae laxioris, minusque sensiles, cumque ob continuum sanguinis per eos transitum eo magis humores possint huc congeri. Hinc sit, ut, oborta suppuratione, partes laxiores magis magisque extendantur per materiam purulentam, ita quidem, ut tandem ad id volumen increcant, quod in vomicis obseruabile est.

Porro huc pertinet haemoptysis, ea praecipue, quae ex vasis pulmonum disruptis contingit. Sequitur enim illam, ut quodus vulnus partis mollioris, suppuratione, quae ex causis, modo commemoratis, vomicam produce re potest.

§. V.

Sequitur alterum genus causarum, metastasis matriae purulenta. Experientia docet, pus, in parte quan- dam collectum, saepe subito ab eadem recedere, ad renes, intestina aliasue partes deferri ibideinque vel excerni, vel deponi. Quae quidem puris depositio dum in pulmonibus sit; membranac eorum, facile cedentes, ex- tenduntur, dilatantur, ita, ut in maiora tubercula puru- lenta efformentur, ac tali modo vomicae oriantur.

§. VI.

§. VI.

Tandem ad tertium causarum genus veniendum est. Magnis in arte viris visum est, pus generari posse in corpore humano sine praevia inflammatione. Quae quidem res sub ILLVSTRIS PRAESIDIS auspiciis b) exposita olim iam est, ita ut vltiori explicationi supersedere nunc possimus. Quodsi igitur ex singulari subiectorum dispositione materia purulenta sanguinis massae inhaeret; fieri non potest, quin etiam ad pulmones cum sanguine deferatur. Iam vero per refrigerium, potum post sanguinis commotionem frigidum, aliasque causas facile stagnare materia purulenta in pulmonibus potest, ibidem colligi atque accumulari; hinc pari quoque ratione ansam potest vomicis praebere.

Habes hic, B. L. nexum causalem breuiter indicatum. Proximam & immediatam causam exhibit stasis suppuratoria intra vesiculos pulmonales, vel decubitus materiae ad illas. Remote confert plethora & praesertim cacoyma; praedisponentem sifit diathesis sanguinea

b) Diff. De genesi materiae purulentaiae sine praevia iuflam-
matione. Halae 1765. resp.
OTTO.

B

nea purulenta pulmonumque debilitas. Occasionem praebent neglectae adsuetae artificiales, atque suppressae sincerae, sive sanguinis excretiones naturales, violentiae pectori illatae, aucta celeriter respiratio sub vehementi corporis exercitio, pectoris refrigeria, abusus calefacientium spirituorum, immo & bechicorum, deposita varia a praegressis morbis &c. Ad causas vero, quae rupturam vomicarum excitare valent, pertinent: vehementes pectoris & abdominis agitationes sub vomitu, in vehementi risu & spiritus retentio cum forti aëris explosione; tussis ferina & quasi suffocativa a quacunque causa inducta; motus corporis, vehementius ambulando, currendo, saltando, equitando, excitatus; in genere omnia, quae motum impetumque hisce in partibus excitant, humoresque circa pectoris loca copiose colligunt, vel eosdem e pulmonibus euacuant.

§. VII.

Nunquam omni periculo caret vomica, sed frequentius exitum habet funestum. Lentius orta, diu interdum quiescit, salua manente substantia vicina pulmonali; siquidem folliculo clausa materia retineri & corrumpito

ptio vlcerosa arceri potest. Rarissima est obseruatio b.
VOGELII, c) qua indicauit atque probauit, *accidere inter-*
dum, ut una fouea, aut forte binae in pulmone effor-
mentur, parietibus callosis circum circa obduclae, ita, ut
collecteda ibi materies minime parenchyma penetrare aut
inficere possit, sed quotidie tota exscreetur, idque ingenii
copia. Eiusmodi ergo, pergit, homines fontanellam quasi
in pulmone habent; alias bene comedunt, respirant atque
dormiunt, neque quidem contabescunt.

Finitur autem ita primo, ut in vlcus pulmonum
transeat & materia purulenta, spissior, blanda, laevis &
alba abeat in serum ichorosum, tenuer, acre, totam fere
pulmonum substantiam ipsasque costas ita corrodens, ut
in imum ventrem viam sibi paret. Nec minus anceps
est euentus alterius modi, quo solui vomica solet. Ru-
pta enim in inferiori loco & exteriore pulmonum par-
te, quamuis videatur esse tolerabilior, quam quae intus
procedit, empyema tamen efficit, initio minoris, succe-
su tamen temporis ancipitis euentus. Interior atque in
parte pulmonum superiori haerens atque repente disru-

B 2

pta

c) *De cognoscendis & curandis praecipuis corporis humani af-*
fectionibus. p. 545. not.

pta breuioris periodi esse solet, praesertim si enormis materiae quantitas, per asperam arteriam ascendens, aegrum aut statim iugulat, aut, magna euacuatione cum vel sine particulis folliculosis, felici successu, quod tamen rarum, peracta, malum leuat & consolidationem admittit; et si negandum non sit, malum hoc facile recrudesce-re. Neque inter initia terreri conuenit, si sputum breui vel diu ante rupturam, mistum rufo sanguine, praecesserit, vel ruptam vomicam comitetur. Sub conueniente enim congestione in sanguineis & promtior fieri reparatio solet, & partes sulphureae maiorem parti conciliare possunt siccitatem, ad consolidationem necessariam, quam quae in segnioribus obseruatur vel tardior, vel nulla plane, ob exclusum immo interdum praecolum debitum humorum conuenientium affluxum, sanatio. Longe optimum est, si effuso extra corpus pure, febris vel ex parte quiescit, vel, facta debita abstersione, plane non vel tantilla sit, quae neque cibum impedit, nec crebram fitim facit; siquidem & vrgens cibi fastidium, teste CELSO d) & potionis desiderium, iuncta respiratio-

ne

d) *De medicina Lib. II. Cap. VIII. p. 72.* ed. G. W. WEDEL. Ien.
1713.

ne difficiili, internum, tacitum, lentum, a resorptione materiae purulenta in massam humorum, potissimum productum, suspectum tenent statum. Quae demum diu in pectore persistens, parenchyma deuastat, neque ad rupturam peruenit, frigore externo frigidisque sudoribus ac lipothymiis stipata, lethalis euadit.

§. VIII.

Indicationes curatoriae exposcunt primo abscessus abstersionem & mundificationem; secundo solutae partis consolidationem symptomatumque mitigationem; tertio materiae purulenta in massam humorum praeclusionem; quarto partium debilitatnm roborationem. Hinc quoad primam indicationem, si materia per os effusa sit: expectorantia & discutientia adhibeantur, abstinendo a bechicis, saltim ab eorum abusu. Conducunt maxime succi herbarum recentium cum sero laetis. Succi optimi exprimuntur ex veronica, millefolio, turionibus bellidis, vrtica minori, nasturtio aquatico, tussilagine, ceteris. Neque cucumerum maiorum succus contemnendus; immo acetaria ex luctuca, plantagine, portulaca, chaerophyllo praeparata conducunt. Succis infusa ex bellide minore, virga aurea GESNERI, veronica, hedera terrestri, scopolendrio substitui; immo intuitu potulentorum, laeticinia, cum aqua simplici, vel Selterana remixta, commendari poterunt.

B 3

AL

Altera indicatio admittit & mundificante & consolidante scopo, saccharum candum, vel saccharum latis cum tantillo myrrhae, omnia saponiformia cum balsamo peruuiano & gummatibus in formam pilularum redacta, traumatica, videlicet conyzam, plantaginem, hypericum, veronicam, auriculam muris, hederam terrestrem, pyrolam, saniculam, bellidem mincrem, vrticam minorem, tussilaginem, scabiosam &c.

Tertia indicatio expositit temperantia nitrosa, acidulata lenia, antifebrilia, iunctis lenioribus diureticis, & tussi nimis affligente, secura & correcta opiate.

Quarta obtinetur cortice peruuiano, extracto cascarillae aquoso, pareira braua, amaris, diversa forma exhibitis; quibus omnibus congruum vitae regimen & exquisita, magis refrigerans diaeta accedant, necesse est. Sub quorum omnium vsu generalia intuitu venaesectionis & soluendae ac ducendae alui, tam curatiuo, quam praeseruatiuo sccpo, haud negligenda, & eo respiciendum, ut nimius humorum ad haec loca exsanguia & humida auertatur affluxus. Praesertim Medicus periodice respiciat ad naturales sinceras excretiones vtroque in sexu. CILSVS, e) „super tabem, inquit, si mulieri quoque suppressa menstrua fuerunt, & circa pectus atque scapulas dolor mansit, subitoque sanguis erupit, leuari morbus solet; nam & tussis minuitur & sitis atque fe-

„bri-

e) I. c. L. II. C. VIII.

„briculae desinunt. Sed iisdem fere nisi redit sanguis,
„vomica erumpit: quae quo cruentior, eo melior est.“

Nisi sponte natura pus per os effundat, ac probabili ratione vomica eiusdemque praesentia ex anxietatis & praecedente interdum leni dolore cognosci possit; iuuat methodo SYDENHAMI in phthisi, placido quotidie, si aeger ferre possit, ad vnam alteramque horam, instituto motu equitationis, vomicam ad rupturam disponere, f) & si imminet catarrhus suffocatius, ab asthmate purulento, sulphur antimonii auratum tertiae præcipitationis, in refracta dosi, cum absorbente simplici, citrato, sale medio & radicibus pectoralibus, videlicet iridis florentinae ac refracta dosi ari remixtum, interdum, reliquis necessariis haud neglectis, exoptatum præstabilit effectum. Intuitu consolidationis suademos antecedentia; nocua iudicamus antihecticum POTERII & tincturam, sat etiam cum praecedente remedio in cura tabis a VOGELIO celebratam, sic dictam antiphthisicam GRAMANNI.

§. IX.

Praemissis hisce generalioribus, transeundum est ad ipsam casum de vomica descriptionem.

Casus primus.

Iuuenis octodecim annorum, rusticam vitam agens,
mes-

f) Vomicam non raro ad rupturam deducit vapor tussim
ciens, inspirando haustus:

CALLISEN instit. chirurg. p.
208.

messis tempore, post laborem rudiorem, qui praecipue magnam humerorum contentionem postulabat, incidit in febrem acutam inflammatoriam cum dolore, quem in pectore sentiebat, punctorio. Nullis, vt referebat, nisi domesticis quibusdam iisque incongruis, per totum morbum usus fuerat remediis, sed naturae plane fuerat relietus. Post morbum, quem superatum putabant parentes, laterum dolores quidem finiebantur, febrisque ex parte cessabat; nec tamen omnino bene se aeger habebat, nec, quod a tempore exspectabat leuamen experiebatur. Vires potius, quarum sebris iam magnam consumserat partem, magis magisque languescebant. Neque rediit nutrimentorum, quibus illae restaurarentur, appetitus, & miser querebatur de anxietate ac difficultate spirandi, quae vix leuissimum corporis motum permittebat, sed asthmatica potius respiratione afflicetus incidebat in atrophiam. Ita ad extrellum fere aegro perduto, qui extenuatus maxima ex parte ad mortem se componere videbatur cum sputis nunc cruentis, nunc sine rufo colore purulentis, foetidis, mucidis, immo ichorofis, intermixtis corpusculis instar pisí maioribus durioribus & membranaceis; tandem de medicina cogitabant parentes & ILLVSTRIS PRAESIDIS, die V. Decemb. anni praet. auxilium implorabant. Aeger habitu erat extenuato; cachectica facies pallida, tumens; respiratio anxia, difficilis. Ex facta & cognita morbi ratione facile concludebat VENERANDVS PRÆCEPTOR, hunc iuuenem laborasse peripneumonia, quae tran-

transferat in suppurationem, ita, vt in pectore remanserit materia purulenta. Cum autem puris in catio thoracis effusi & fluctuantis nulla signa praeter spiritum grauem ac foetidum, nec non pectoris oppressionem, febremque lentam sub tussi chronica, adessent: ILLVSTRIS PRAESES, vomicam suspicatus, de materiae purulenta euacuatione & expectoratione ac mundificatione cogitandum esse existimabat. Quem in finem, praemissis ac interpositis generalioribus, praesertim alio per totam curam aperta & leuioribus balsamicis expedita seruata, sub abstersione & mundificatione, ob metum catarrhi suffocatiui, aegroto exhibuit sulphur antimonii auratum tertiae praecipitationis, infrafractis admodum dosibus, illudque pulueribus, ex absorbente simplici, salibus mediis, temperantibus, radicibus resoluentibus & expectorantibus adiecit; quo remedio bis in die cum infuso ex herbis pectoralibus, floribus arnicae plauensis nec non speciebus Paracelsi correctis, seruata animi corporisque quiete, vti iussit. Nec fecellit eum spes, quam de efficacia horum medicamentorum conceperat. Die enim octauo Ianuarii currentis anni mater cum filio aegrotante rediit & praesentibus omnibus, qui tum institutionibus clinicis ILLVSTRIS PRAESIDIS fruebantur, retulit, aegrum magnam & ad liberam accendentem copiam materias purulenta cum partibus membranaceis per vomitum reieisse, quo factum sit, vt longe melius nunc aeger se haberet. Atque vere ita res erat. Quem enim antea cum

C

sum-

summa difficultate traxerat spiritum, nunc facili opera aegrotus spirabat; faciei tumor residebat; habitus erat laetior, corpus sine magno incommodo mouebatur, viresque successiue redibant. Ne autem quid remaneret purulenti in pulmonibus: ILLVSTRIS PRAESES vsum sulphuris continuari iussit, additis aliis remedii conuenientibus, tonicis, cascariella nimirum & cortice peruviano, quibus tandem mox eo peruenit aegrotus, ut pristinae sanitati fere restitutus fuerit. Pro tuenda sanitate ex regulis diaeteticis praecipue moderatus & lenissimus ipsi commendatus fuit corporis motus. Nam inaequalis adhuc motus in systemata arteriarum obseruabatur. Qum enim ultima vice, die decimo tertio Martii a. c. ad ILLVSTREM PRAESIDEM accesserit: pulsus in arteria radiali dextra mollior & multo liberius, at in sinistra suppressus magis & obscurus ab omnibus, tunc temporis praesentibus repertus fuit. Quapropter iterata venaesectio, in pede, quater in anni spatio instituenda, commendata, & sic quidem aeger dimissus fuit.

Casus alter.

Vir strictioris corporis habitus, vitae rusticæ additus, quam per quinquaginta egerat iam annos, quamuis diu abusus fuisset potulentis spirituosis sine notabili detimento, tamen id non omnino impune ferebat corporis eius constitutio.

Coe-

Coepit enim anxie respirare ac tempore matutino partim humorem tenuem sanguinolentum, partim sputum ex rufo purulentum cum tussi graui, longa & humida reicere. Simul virium persensit languorem & corporis extenuationem. Ita fere anno peracto his omnibus fese febris lentescens adiunxit mali ominis, per sex circiter hebdomades durans. Eiusmodi ancipiti statu constitutus aeger accessit ad ILLVSTREM PRAESIDEM EIVSQUE sibi experti consilium, quod nec ipsi denegauit VENERANDVS PRAECEPTOR. Cum enim ex compertis morbi symptomatibus vomicam suspicaretur; ante omnia spirituosorum usum aegro non solum interdixit, sed auctor etiam fuit, vt, praemissis generalibus, nimirum venae sectione & laxantibus blandioribus, quae & aluum soluunt & ducunt, secundum methodum SYDENHAMI, quotidie per aliquot horas matutinas, equo veheretur. Salutare hoc consilium per quindecim circiter dies fecutus aeger ad ILLVSTREM PRAESIDEM rediit, eoque praesente, cum vix equo descendisset, perceptis breui ante anxietatis summis cum metu suffocationis, plus quam libram materiae sanguineae purulenta, cum partibus membranosis mixtae, repente euomuit, ita, vt animo fere linqueretur. Quum ad se rediisset, quietum esse aegrum ILLVSTRIS PRAESTIS iussit, ipsique exhibuit succos expressos herbarum recentium, veronicae, tussilaginis, taraxaci, milfolii, vrticae minoris &c. cum sero lactis. His iunxit saccharum myrratum cum elixirio ex extractis vegetabilium

lium traumaticorum, addita cascarillae parte aquosa, cum liquore terrae foliatae tartari soluta. Post usum horum remediiorum omnis, quae adhuc remanserat materia purulenta eliminabatur, virium vigor redibat, aeger liberius respirabat, adeoque firmam recuperabat sanitatem, ut post illud tempus vxorem duxerit, sobolem procreauerit & nunc iam septuagenarius optima adhuc fruatur sanitate.

Quamvis igitur vomicarum exitialium simulacra in morbis acutis suppuratoriis, vel lente collectarum, dentur quam plurima; euenit tamen interdum, ut, nisi profundius materies parenchyma infestet, antea quasi in folliculo detenta calloso vel subito, vel successiue exscreetur magna copia, notante supra nobis laudato VOGELIO, aut quoque obseruante FORESTO, in haemoptysin terminetur. Rarissime vero integra restituitur sanitas, sed ut plurimum vomica, nisi subito suffocet, ratione futuri, ancipitis & frequentissime funesti est euentus.

FINIS.



1018

PICA

DE
VOMICA PVLMONVM

CONSENSV
 GRATIOSI ORDINIS MEDICI
 IN REGIA FRIDERICIANA

P R A E S I D E
D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO
 FACVLTATIS MEDICAE SENIORE ETC.

P
 G R A D V D
 SVMMISQVE IN M
 AC PRIVILEGIIS DOCTORAL
 A. D. XV. DECEM
 H.
 PVBLICE
 A V
 IOANNES FERDIN
 SIL

HALAE
 T Y P I S S T

